



**V**alentinus ex honesta familia Forsterorū natus, & à pueris optimè educatus est. Cum autem præclaro ingenio frueretur, magna diligentia operam literis dedit, & prima rudimenta scèliciter percepit. Inde uerò sese hinc inde ad doctorum uirorum gymnasia contulit, atq; artium & linguarū cognitionem sibi comparauit. Postea quoq; legibus incubuit atq; Iurisconsulti celebre nomē adeptus fuit. Accedebat etiam docendi perspicuitas, ac ueritatis amor. Ut itaq; & patriæ & posteritati cōsuleret, præclarum opus de historia Iuris civilis Romani libris tribus conscripsit, atq; Basileæ 1565 edidit. In eo Imperij ortus ac uarias mutationes, ra-

tiones legum, & ueterum Iurisconsultorum à Lothario Cæsare uitas, tanta dexterrate proposuit, ut omnibus innotesceret, & cunctis gratissimus esset. præterea commentaria in tit. de success. ab Intestato: atq; etiã in institutiones Imperiales, cum alijs huiusmodi. Hac ratione Valentinus etiamnum pergit, & inter doctos uiros honestum locum suis uirtutibus meruit. Anon,